In qua re diuersæ sententiæ fuerunt, Confessionistis visum est Colloquium hoc tempore unicam viam esse, per quam ad concordiam in Religione peruenirj possit, tum quia Concilij universalis celebratio hoc tempore propter motus bellicos impossibilis sit, tum quia tale Concilium sperari non possit, quale præsentis discordiæ qualitas et conditio requirit. Nempe quod liberum sit, et in quo Papa non præsideat, et vocem decisiuam habeant non solum Episcopi, sed etiam alij potentatus Christiani. Colloquium uero tale institutum posset, in quo de controuersis articulis utriusq; partis, nulla personarum differentia facta amica consultatio fieri et tandem ad unam concordiam peruenirj posset, ac proinde Colloquium Concilio merito præferri deberi

Contra uero Catholici non solum Concilium Colloquio preferredum, sed etiam Colloquium omnino detrectandum esse. extimauerunt, Quam sententiam multis quoq; efficacissimis rationibus confirmauerunt. ~~Quinetiam omnino Catholici consilia sua direxerunt, et nihil eorum~~ eaq; quæ per Confessionistas in contrarium adducta fuerunt confutarunt, ~~imo eisq; omnino Catholici consilia sua direxerunt, ut nihil eorum quæ ad tuendam dignitatem et auctoritatem sedis Apticæ et S. mi Dni nri Papæ pertinet, et pertinere iura sunt omitteretur. In hac igitur disceptatione cum inter partes conuenirj de una conditione concordi sententia non posset, factum est, duæ diuersæ et inter se prorsus contrariæ sententiæ Regiæ Maiestati fuerunt, et partibus obtulerunt Confessionistarum et Principum secularium Catholicorum Colloquium Concilio uniuersali præferentium Altera Ecclesiasticorum Statuum Colloquium prorsus refutantium totamq;

religionis causam ad Concilium uniuersale, et sedem Apticam referentium. Auditis itaq; utriusq; partis sententijs Rex considerata temporum iniquitate et concilij uniuersalis celebrandi hoc tempore impossibilitate, eam amplexus est per quam coni. colloquium prælatum est petiuitq; ut et Catholici Ecclesiastici ad uitanda uaria, et iam instantia pericula, eandem uiam non detrectarent. hac Regis intellecta sententia et si graue admodum visum fuerit Catholicis certamen de scripturis diuinis cum Confessionistis inire, et Colloquium cum his commiscere, quos certum est nunq; à sua discessuros esse sententia et ad unitatem Ecclæ redituros, Quin potius periculum esse, ne finito Colloquio plures etiam à fide nostra catholica sint discessuri, et ab obedientia Ecclæ defecturi, Tamen negotio tam arduo diligentissime in omnem partem examinato, pondcrato, et discusso cum ratio sine graui reipublice iactura et publicæ tranquillitatis turbatione, et Ecclæq; deuastatione inueniri non posset per quam Colloquiu euitari posset. Catholici Regis sententiæ parentes in Colloquium, sed certis tomen conditionibus consentiendum esse existimauerant. Conditiones fuerunt, Prima ut nulla esset Colloquij et eorum quæ in Colloquio tractabunt ad unam uel ~~aliam~~ alteram Religionem tenendam obligatio, Secunda ut in Colloquio supercontrouersijs articulis nulla fieret decisio et determinatio, Tertia ut finito Colloquio, semper salua esset Concilij uniuersalis indictio, et celebratio. Quarta ut talis Colloquij modus esset, ne Archiepoq, et Epoq officijs dignitatibus et Juramentis, quibus et Sedi Apticæ et S.mo Dno nro obligati sunt, preiudicaretur. Quinta ut finito Colloquio, ipsius acta ad status Imperij ea conditione referatur, ut nemo ea quæ in Colloquio deducta, et per Colloquentes proposita fuerint